

Bibliothèque numérique

medic@

**De Bauve, Jean - candidat /
Bordenave, Toussaint - président. - De
varicibus**

1762.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°85



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0085](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0085)



*cette thèse a
été soutenue
après celle
de un
frigand
qui iuit.*

D. O. M.
DE VARICIBUS.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.




SANGUINEM à corde exeuntem per omnes & singulas corporis partes propellunt arteriæ; eundem reducem versùs cor referunt venæ sic que cum corde præstantissimum circulationis opus absolvunt. Dum ritè perficitur hic sanguinis motus, integræ vigent functiones adestque fanitas; perturbato eodem motu, urget morbus; cessante penitùs, fugit vita inersque corpus mors jam premit. Interest ergo horum ce vasorum functiones apprimè cognoscere, ut sanæ serventur, ut læsæ restituantur, ut denique morbosæ dispositiones vel futuræ præcaveantur, vel præsentés arceantur.

§. I.

VENA est vas sanguinem ab omnibus corporis partibus ad cor reducens. Tres præcipuæ numerantur; Vena Cava, Vena Pulmonaris & Vena Portæ: duæ priores sanguinem ab arteriis capillaribus receptum ad cor revehunt; posterior vena cordi non inseritur, venarum & arteriarum vices ad implet, idèò que in functionibus suis ab aliis venis excipienda.

A



VENÆ plurima exhibent cum arteriis communia; tubos enim efformant, primo intuitu conicos, quorum basis in corde, apices verò in extremo quoque ramo per totum corporis ambitum eodem ferè modo subdividuntur sicut & arteriæ, has concomitantur, eodemque sæpius ordine distribuuntur. At, quantum inter se structurâ & usu discrepent hæc vasa, demonstrant Anatomica & Physiologica.

TENUIOR est venarum quàm arteriarum fabrica: iisdem numero membranis, tenuitate tantum diversis, constare dicuntur; at illæ ita inter se firmiter inhaerent, ut difficilè separabiles existant, &, si tela cellulosa conjungens non prorsus deficiat, vix saltem in ipsis demonstrari queat. Raræ in ipsis conspiciuntur fibræ musculares, eæque tantum longitudinem sequentes observantur in majoribus animalibus, iis in locis quibus venæ auriculis cordis committuntur; hinc venæ minùs resistunt quàm arteriæ; faciliùs distenduntur, disrumpuntur difficiliùs, evacuato que sanguine sæpius collabuntur.

FREQUENTIORES numero, capacitate majores quàm arteriæ per totum corpus decurrunt venæ. Unicâ Aortâ usque ad extrema tota spargitur sanguinis moles, quæ redux ad sinum cordis dextrum duplici cavâ refunditur; Unicâ præsertim Pulmonari arteriâ irrorantur Pulmones, dum è contrâ quadruplici trunco ad sinum pulmonarem, inde in auriculam cordis sinistram refluit sanguis. In Artubus pro unâ arteriâ duæ conspiciuntur comites venæ, imò tùm in artubus, tùm in totâ corporis superficie frequentiores occurrunt absque arteriâ comite. Præterea venæ externæ internis inosculantur, hinc rami multiplices, venosi plexus, unde sequitur facilior sanguinis circuitus, fluidi que stagnantis vel remoram patientis promptior per canales liberos derivatio. In cerebro venæ efformant majores sinus; hinc patet venarum capacitatem majorem esse in ratione duplâ, quandoque triplâ, imò & quadruplâ, capacitate arteriarum.

SANGUINEM à ramis ad truncos per venas decurrere probant observationes microscopicae, ligaturæ, compressiones; origines ergo venarum in imis radicibus, non in truncis, quærendæ. Jam verò ferè eadem est paritas in origine venarum ac in terminatione arteriarum; hinc venæ quædam ab arteriis minimis per ramos reflexos continuæ oriuntur, ibi que suam mutuantur originem, ubi desinunt arteriæ: venæ sanguineæ nuncupantur. Aliæ vasorum minorum soboles, liquores residuos ex minimis vasis ad venas revehunt; hæ intrâ corporis cava bibulæ nascuntur, & fluidum ab arteriis exhalatum versùs circulationis alveum referunt; illæ intrâ textus spongiosos hiantes, sanguinem depositum

3

reſorbent, ut in ſplene, corporibus cavernoſis, &c. quædam intrâ glandulas, ſecretionis ſuperfluum ebibunt, ſicque liquoris ſecreti perfectionem promovent, exemplo bilis, ſeminis, muci; aliæ denique vix ortæ, ſibi invicem in origine inoſculantur, tales ſunt Meſaraïcæ, Spermatïcæ. Sic ortu licet variæ, in communes dein abeunt ramos, quibus in unum coadunatis efformantur venarum majorum trunci.

INTRA venas majores annotandæ ſunt valvulæ ſemilunares, valvulis ſigmoideis dictis non abſimiles, hinc & hinc ita diſpoſitæ, ut parte convexâ vaſorum parietibus adhærentes liberum ſanguinis ad cor appuſſum non impédiant, parte verò concavâ liberæ ſanguini reſſuenti obicem offerant, eundem que ſuſtineant ulterius inde effluxurum. Hæ valvulæ in majoribus venis quandoque duæ, tres, quatuor, imò quinque obſervantur; in minoribus vel duæ vel ſolitariæ conſpiciuntur; in minimis nullæ reperiuntur. In venis cerebri, cordis, pulmonum, viſcerum majorum, hepatis, uteri, renum, nullæ apparent; in venis ſpermatïcis raræ, frequentiores occurrunt in venis exterioribus artuum, colli, faciei, linguæ, penis & in cavâ præſertim inferiori (1). De primis obſervatoribus harum ce valvularum unanimis non eſt inter Anatomicos conſenſus: inventionis laudem Clariffimo Fabricio ab Aquapendente Anatomico & Chirurgo Patavino referunt pluriimi, quam tamen Clariffimo Canano vindicant Riolanus (2). & Morgagni (3).

VENIS non eadem ac arteriis vis propria. A naturâ ſuâ non pulſare videntur venæ, ſi eum excipias locum quo auriculis cordis inferuntur. Quandoque tamen aliis in locis pulſus manifeſtos edunt, vel ſaltem mentiuntur; ſic in morbis ab aucto vehementer ſanguinis motu, arteriis fortiter pulſantibus, ſubſultant quandoque venæ jugulares, aut ſanguis è venâ miſſus cum ſubſultu quodam exſilit; ſic etiam obſtructo alicubi canale, aut in morientibus, languente cordis actione, pulſus quidam in venis apparent, ſanguine intrâ cordis auriculam non affluente, repulſoque verſus venas cavas.

DIFFICILIOR ergo foret ſanguinis intrâ venas circuitus, niſi hujus-ce motûs variæ aſſeſſent auxiliatrices cauſæ. Sanguis equidem intrâ ipſarum cavum, continuatâ cordis & arteriarum actione, propellitur; ſed mollior & iners ferè venarum ſtructura, multipli-

(1) De valvularum intrâ venas diſpoſitione & uſu, videantur Fabriciû ab Aquapendente, Oper. Anat. & Joann. Bapt. Morgagni Epist. Anat. 15. n°. 39. & ſequent.

(2) Anthropograph. lib. 5. cap. 49.

(3) Epistol. Anatom. 15. n°. 64. & ſequent.

4

ces vasorum anfractus, intricati plexus continuos offerunt obices, qui liquidum motum retardarent. At sapiens providit natura, arteriis plerumque comites procedunt venae, ipsis quandoque implicantur, musculis saepius apponuntur; sic venis operam praestant arteriae & musculi. Praeterea cum capacitas ramorum simul sumpta major sit capacitate trunci, inde sequitur ex hydraulicis, motum sanguinis intra venas potius augeri quam imminui, licet liquor à ramis ad truncum tendat. Non omittendus etiam ad eundem finem valvularum usus; si enim sanguis quaecunque de causa retrò cedat, vel difficiliorem circuitum subeat, hunc illae contrà proprium pondus sustinent effluentem, refluxumque in ramos impediunt. Egregium hunc valvularum usum, sanguinisque resistantiam contrà vasorum parietes demonstrant nodosi venarum tumores in hominibus lacertosis praesertim conspiciui. Sic valvulae modò ad latera vasorum applicatae sanguini transeunti aream praestant, modò depressae eidem refluenti sustentaculum praebent; sic liquor non gravitat liquori advenienti, versus cor derivatur, & facilius absolvitur circulatio.

§. II.

Sunt sunt venis sicut & arteriis morbi: & eà ratione quàm arteria dilatata Anevrysmata verum efformat, sic modo non dispari vena turgescens sanguine que distenta inaequaliter tumorem varicosum constituit. Hinc Varicis nomine, quem Graeci *κυστις* vocant, intelligitur tumor venosus, mollis, sublividus, nodosus circa valvulas & vasorum divaricationes, at oblongus & inaequalis quando secundum integrum vasorum tractum oritur.

In quacunque corporis parte nascuntur varices; frequentius tamen occurrunt in partibus externis, in pedibus praesertim circa malleolos; interdum tamen observantur in crure, femore, scroto, brachiis, jugularibus, palpebris, in ipsamet membranâ oculi adnatâ, sub ipsâ linguâ, in labiis. In mammis, in hypogastrio & inferioribus extremis praegnantium non rari annotantur. Huc etiam referri possunt haemorroïdes caecae, inter varices non immeritò annumerandae.

JAM verò varices inter se distinguendi: qui enim nodosi conspiciuntur, sedemque tantum suam habent his in locis ubi valvulae sanguini prementì resistunt, hi statum non-naturalem, non verò morbosum praenuntiant; è contrà morbosi habendi sunt, qui inaequales & extensi sanguinis remoram praebent, doloremque ut plurimum habent comitem. Alii varices veri nuncupantur, & venis distentis inflatisque natales debent; alii spurii, à causa externâ & contundente orti, cum ecchymosi & sanguinis effusione complicantur. Illi recentes, hi confirmati; simplices quidam,

5

quidam compositi aut etiam complicati; alii indolentes & molles, alii cum dolore & duritie; illi symptomatici, hi idiopathici; varii denique pro variâ causâ agnoscuntur.

Si de variis varicum causis inquiratur, multiplices se se offerunt, ad proximas seu immediatas & ad remotas referendæ. Causa proxima seu immediata morbum præsentem constituit, & pendet tum à sanguine congesto, tum à vase distento sanguinem remorante; hæc autem causa determinatur vel activè vel passivè, quæ quidem distinctio ad curationem feliciter promovendam non parùm interest. Unde si sanguis majori motu intrâ venas propellatur, si inæqualiter distendantur venæ & motu spasmodico resistant, jam oriuntur varices ab ipsomet partium vitio: hujus generis sunt varices nîs majoris sequelæ. Passivè autem agit causa proxima, si, impedito sanguinis refluxu, venæ distendantur, vitio in aliâ parte existente: hujus censûs sunt gravidarum varices à pondere uteri venas iliacas prementis, nec non hæmorrhoides à congestis fæcibus.

CAUSÆ remotæ, mediata, seu prædisponentes frequentiores observantur, & sunt vel internæ, ut plethora, cacochymia, vel externæ, ut compressiones, ictus &c. Dum urget plethora, sanguis densior intrâ vasa fluit difficiliùs, distenduntur & turgent veræ, hinc & hinc inæqualiter distentæ tument præsertim circâ valvulas: illud confirmatur in obesis quibus venæ exteriores & inferiores varicosæ sæpiùs prominent. Eundem effectum creat cacochymia, in quâ sanguis crassior, facilè crescens, glutinosus magis, minùs mobilis inertes venarum tunicas tantè faciliùs distendit; sic in scorbuticis varices non rarò efformant turgidæ venæ; idem in melancholicis, in schirrosis observatur. In pituitosis, œdematosis fibræ laxiores distentæ circuitum vix promovent, ideòque varicibus etiam ansam præbent; inde quæcumque plethoram aut cacochymiam procreant, ut rerum non naturalium usus aut abusus, inter varicum causas haberi possunt. Eâdem ratione modò dictâ, compressiones externæ sanguinis motum remorantes, ictus, contusiones, læsiones vasorum tunicas debilitantes inter varicum causas assignandæ.

VARICES indicat tumor venosus, inæqualis, nodulos sæpiùs efformans præsertim in cruribus, sublividus, non pulsans, nisi fortuitò arteriæ vicinæ immediatè incumbat; quandoque absque dolore, nisi comes adsit tensio; sæpiùs cum dolore intenso & ardenti, pruritu, inflammatione & functionum quarundam læsione; plerùmque mollis, attamen renitens ob sanguinis stasim, inspissationem & valvularum resistantiam; rariùs indurefcens, nisi inveteratus aut partium vicinarum vitio complicatus; hinc

patet varicis ab Anevrysmate discrimen. Cæterum varia ejus diagnosi pro variâ specie. Varix nodosus, & quasi naturalis, circa valvulas tantum observatur; morbosus verò, non sine dolore vel saltem incommodo, non circumscriptus, semper oblongus & inæqualiter extensus serpentino tractu se prodit. Verus simplici venæ distensione, spurius ecchymosi & sanguinis induratione dignoscitur. Recens ab inveterato, simplex à complicato, tempore & accidentium præsentia vel absentia dijudicatur. Symptomaticus ab existentia alterius morbi vicini, luxationis puta; idiopaticus uti fit in œdematosis pedibus, in sarcocoele, à vitio partis, agnoscitur; denique cognitio plethoræ, cacochymia, causarum internarum aut externarum effectibus, varia confirmatur varicum indoles ab aliis vitiis facile distinguenda.

Pro variâ varicis specie & indole, diversa hujus prognosis. Hinc minores, qui partium actiones non lædunt, possunt tolerari absque periculo & incommodo; qui verò cum dolore, tensione, inflammatione oriuntur, non eadem ratione æstimandi. Ex his enim quidam profunt nedum noceant, & tanquam effectus morbi criticus salutarisque haberi queunt (1).

Non item judicandum de varicibus qui oriuntur absque morbo prægresso aut concomitante, cum dolore, inflammatione aliisve symptomatibus: hi enim nocerent suâ præsentia & in alios morbos aut saltem in chronicos affectus abirent, nisi idonea admittatur curatio. Ex his autem veri difficilius curantur quam spurii; recentes, simplices, symptomatice & à causâ externâ minus habent periculi, quam inveterati, complicati, idiopatici & à causâ internâ. Qui oriuntur à causâ internâ, in corpore senescente, constantem curam raro admittunt; qui citius crescunt, dolores & molestiam concitant, imò quandoque rumpuntur & in ulcera mali moris abeunt.

Ex dictis de mali hujus naturâ, specie, causis & prognosi, patet variis varicum speciebus, non unam eandemque medelam competere & idèd ad ægrorum salutem apprimè cognoscendam esse, ut unâ quæque suo loco congruè adhibeatur.

VARICES quidam nodosi, in loco valvularum prodeunt absque functionum læsione; hi nullam exquirunt medelam, nisi incrementum. Iis verò qui cum dolore, tensione, inflammatione oriun-

(1) Sic teste Hippocrate (Sect. 6 Aphor. 21) *insanientibus si varices superveniant aut hæmorroides insaniam solvunt*. Sic etiam probante Galeno (Comment. 6. in lib. 6. Hipp.) varices furorem, melancholiam, schirrum lienis, podagras & dolores articulorum disentiunt. Hoc etiam confirmat praxis quotidiana, si quidem periculum sequitur ex his intempestivè curatis: hinc Hippocrates libro de humoribus: *intempestivè autem curati multi, non ita multo post morbis corrupti sunt, & perniciosè idcirco habuerunt*. Conferatur Juncker. Conspect. Chirurg. Cap. de varicibus.

tur, varia opponenda est curandi ratio pro variâ specie; sic varices morbi sæpius gravioris soboles, ut constat ex suprâdictis, palliativam tantum admittunt curationem & radicitus curari nequeunt absque periculo. Cum enim ex his suppressis accidentia ut plurimum oriantur, uti probatur ex Hippocratis, Galeni, Junckeri & aliorum testimoniis, ne malum ingravescat, sufficiet tantum sanguinem per venas educere, victum tenuem, diluentem præscribere, & medicamenta interna, varia pro morbo complicante, administrare; abs re non erit etiam fasciam comprimentem adhibere ne augeantur & ad rupturam tendant. Cæterum ut radicalis obtineatur curatio, hic longè magis præstat medicatio interna, quàm externa.

VARICES à causâ quâlibet comprimente, nisi vetustiores & ultra modum dilatato venali tubo, spontè evanescent remotâ comprimente causâ; sic ut plurimum sponte abeunt gravidarum varices, partu feliciter exantlato, ritè que succedentibus lochiis; iis tamen nocentibus opem afferre potest Chirurgia, sanguine per alteram venam educto, nec non adhibito decubitu suprà dorsum ne uterus nimium venas iliacas premat.

REMEDIIIS corroborantibus & discutientibus curandi sunt varices idiopathici, qui sequuntur in artubus colluvie serosâ infarctis; remedia tamen interna præire debent, vel saltem eodem tempore adhiberi, ut venæ in pristinum statum facilius restituantur. His mediis cum usu non infelici succedunt tibialia è caninâ aliis ve idoneis pellibus confecta, & ita disposita ut ope funiculi congruè constringantur, & crura die nocte que æqualiter comprimantur, ne morbus iterum recrudescat.

VARICUM qui citius increscunt cum dolore, tensione, molestiâ, duritie, operosa magis curatio: iis non sufficiunt remedia interna aut externa; imminet sæpius rupturæ periculum; pro vitâ cavendum, aut saltem ne in ulcera peioris naturæ mutentur. His in casibus auxilia ex ferro, imò ex igne petita proponit Chirurgia; sic varices, qui moderatè tument, per admotum phlebotomum secundum longitudinem utiliter inciduntur, sanguine que ab octo ad duodecim uncias, pro ægri habitu, evacuato, probè deligatur vulnusculum, fasciâ decenti comprimitur pars afflicta, conglutinato que vulnusculo, astringentibus, corroborantibus, tibiali è pelle caninâ aut fasciâ quâlibet alterâ, in statum, quantum fieri potest, naturalem restituitur; his que ritè institutis felix sæpius obtinetur curatio. Hæc autem leniora præsidia majoribus varicibus rupturæ proximis, non sufficerent; pars restitui impotens cohiberi exteriùs, aut medicamentis cedere nescit; unde vel periculum rupturæ incurrendum, vel magis efficax tentanda medicina. Sponte equidem quandoque rupti sunt varices

absque vitæ periculo; sed cum inde sit sæpius pertimescendum, circotomiam seu varicum sectionem veteribus solemnem, neotericis non æquè probatam, tentandam censemus. Ut autem fiat hæc operatio, cutis suprà venam distentam inciditur absque læsione partis subjctæ; vena volsellâ vel hamulo excepta, scalpello undique à corpore solvitur, & filo tùm suprà morbum tùm infrâ constricta, inter utramque ligaturam rescinditur; ritèque dein deligato vulnere curatur ut vulnus simplex. Eadem operatio absque ligaturâ meliùs instituitur, modò adsit compressioni locus (1). In varicibus induratis cum dolore & hæmorrhagiæ periculo indicatur hæc operatio.

VARICUM curationem igne prosequebatur vetus Chirurgia; hæc autem erat adurendi ratio ex Celso: (2) *cutis super inciditur: tum patefactâ venâ tenui & reufo ferramento candente, modicè premitur vitatur quæ ne plagæ ipsius oræ adurantur.* Hæc minoribus tantùm varicibus competit curandi norma; ustionem cauterio potentiali exiguo varici labii inferioris qui identidem sponte fluebat successu non infelici adhibuimus; sed si majores & implicati varices, utilius excidere quam urere cum Celso arbitramur.

TANRI observati sunt varices qui curationem ferè omnem respuunt: exemplum tale refert Bonetus (3) ubi venæ duæ serpentum more volubiles, tortuosæ & varicosæ ab iliâ venis externè ad umbilicum ascendebant, majori crassitudine quàm digiti pollicis in muliere quâdam partu periclitatâ. Cum verò mortua esset, secto cadavere, venæ illæ, altera ab iliâ dextrâ, altera à sinistrâ in unum coeuntes globum, in umbilici regione observatæ fuere ut quasi in magnam cisternam terminarent. Hi palliativam tantùm admittunt medicinam, sufficitque si ruptura præcaveatur.

(1) Videat. de circotomiâ Marc. Aurel. Severinus. Chir. Effic. parte 2 & Fabritius ab Aquapendente de Operat. Chirurg. page 131.

(2) Lib. 7. Cap. 31.

(3) Anatom. Pract. Lib. 4. Sect. 3.

De Tissot
Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. TUSSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Præposito, Professore Regio, Regiæ Chirurgorum Academiæ Consiliario & pro commercio extraneo Secretario, tueri conabitur JOANNES DE BAUVE, Sueffionensis, in alimâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die Sabbati 23^a. Octobris, à Jesqui-secundâ post meridiem
ad septimam. anno R. S. H. 1762.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi. 2761.